



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvatio XXII. De aliis obligationibus Confessarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

DISPUTATIO XXII.

De aliis obligationibus Confessarij.

SECT. I. *Quis, & quando teneatur Confessiones audire.*SECT. II. *De obligatione interrogandi, docendi, corrigendi, & disponendi pœnitentem.*SECT. III. *Quomodo debeat Confessarius supplere defectus in Confessione commissos.*

PATER potestatem Ordinis iurisdictionem, approbationem, & scientiam, quæ omnia prærequiruntur in Ministro huius Sacramenti, sunt aliæ obligationes, quasi concomitantes, vel consequentes, de quibus nunc breuiter dicendum est. Possunt autem hæc ad tria capita reduci. Primum, quis, & quando teneatur confessiones audire. Secundum, quam obligationem habet Confessarius circa integritatem, & dispositionem pœnitentis inuestigandam & procurandam. Tertium denique, quam, & qualem obligationem habeat, postea supplendi defectus, si qui in ipso Sacramento commissi sunt.

SECTIO I.

Quis, & quando teneatur Confessiones audire.

Obligatio hæc potest esse, vel ex obedientia; vel ex officio, seu iustitia; vel ex charitate. Ex obedientia obligantur ij, qui sub obedientia viuunt, & quibus id à Prælato imponitur, de quibus nihil peculiare occurrit, cum sit eadem ratio de hoc & de aliis, quæ per obedientiam præcipiuntur.

De iis, qui ex officio tenentur, est questio communis, an Parochus teneatur audire confessiones subditorum, quoties ipsi volunt confiteri.

Prima sententia negat, & dicit, solum obligari ad hoc, quando ipsi tenentur confiteri, nempe, semel in anno, & in mortis periculo. Ita Ioannes Medina *C. de confess. quest. 37.* Richard. in *4. dist. 18. art. 2. quest. 2.* Syluester *verb. Confess. l. n. 14.* Armilla *verb. Absolutio, num. 28.* Reginald. *tom. 1. lib. 1. cap. 8. num. 81.* & probabile putat Diana *1. tom. tract. 2. miscellano, resol. 2.* Addit tamen Reginaldus, teneri etiam, quando confessio esset necessarium remedium pœnitenti ad aliquod peccatum mortale vitandum.

Ratio communis horum Auctorum est: quia non tenetur ex charitate, alioquin teneretur etiam ad audiendas confessiones aliorum, qui non sunt subditi: sed neque tenetur ratione officij, quia officio satisfacit, si quæ sibi à iure, vel à Prælatis imposita sunt, præster: solum autem illi impositum est, ut necessitatibus subditorum provideat: quamuis enim sit constitutus Pater spiritualis subditorum; carnalis tamen pater in rigore satisfacit, si filiis necessaria provideat.

Secunda sententia communis, & verior affirmat, teneri Parochum frequentius audire subditum, si ipse confiteri velit. Hanc tenent Adrianus, Soto,

Nauarrus, quos refert, & sequitur Suarez *dist. 28. sect. 1. num. 3.* qui primam sententiam acriter reprehendunt, tanquam parum piam, Eundem tenent Azor. *1. part. lib. 2. cap. 17. quest. 10.* Valquez *quest. 93. art. 3. dub. 6. num. 3.* Cominch. *disput. 8. dub. 17. num. 129.* Molfelinus in *Summa tom. 1. tract. 7. cap. 22. num. 36.* Bonacina in *Summa, disp. 5. quest. 7. punct. 4. §. 2. num. 23.* & alij o muniter.

Probatur retorquendo argumentum: pater enim non solum tenetur filiis providere in necessitate extrema, ne moriantur; sed etiam circa alia comoda, quæ necessaria sunt ad viuendum cum decore, & honestate competenti: similiter ergo Parochus non debet solum providere subditis in necessitate extrema, in qua quilibet alius teneretur; sed etiam debet providere de iis, quæ necessaria existimantur ad piæ, & Christianæ viuendum, inter quæ vnum, & valde necessarium est frequentius confiteri: cum difficillimum sit, eos, qui semel solum in anno confitentur, profectum aliquem facere in Christiana pietate. Imò cum experientia constet, eos, qui annum solum confessionem faciunt, labi communiter in plura peccata, non potest Parochus subdito hoc medium negare, quod tantam habet connexionem cum anima salute, & fuga peccatorum. Denique, si cetera omnia deessent, ipsa perseverantia in peccato mortali habituali grauissimum malum est: cum ergo Parochus constitutus sit spiritualis Medicus Subditorum; consequens est, ut sicut Medicus corporalis, qui stipendium à Communitate accipit, debet curare omnes grauiter ægrotantes, qui curari volunt: sic Parochus debeat Sacramenti medicinam adhibere omnibus grauiter ægrotantibus, ne vulnera putrescant, si in illo periculoso statu mortalis peccati diu inordescere sinantur, præsertim, cum implet status afferat secum carentiam gratiæ, iacturam meritatorum, periculum damnationis æternæ, & similia.

Limitant hanc doctrinam eius Auctores. Primò, ut non teneatur Parochus ad audiendum subditum, quando illi prouidet de alio bono, & apud, cui possit confiteri; nisi forte aliqua specialis subditi necessitas exigat, ut ab ipso Parocho audiatur. Ita Suarez *num. 5.* Valquez *num. 3.* Bonacina *num. 23.* Vnde immeritò Ioannes Baptista Possseuinus *de offic. Curati, cap. 5. quest. 7.* quem affert Diana *loco citato*, distinguit de confessione in Palschate, aut in mortis articulo, quam dicit Parochum debere per se ipsum audire; & de confessione ex deuotione, quam dicit posse alteri committere: quam distinctionem probabilem putat idem Diana. Sed quoad hoc non video aliquod fundamentum probabile ad sic distinguendum: nam, sicut extrallos casus prouidet sufficienter subdito, dando illi alium probum Confessarium; sic in Palschate, vel in mortis articulo censetur sufficienter prouidere.

Secundò limitant, ut id habeat locum, quando tanta confessionis frequentia expediret saluti, & profectui spirituali ipsius subditi: aliquando enim id non expedit; quia & confessionis virtus contemnitur; imò & aliquando expedit conscientie subditi cessare à confessione propter scrupulorum perturbationem. Ita P. Valquez *loco citato.*

Tertiò limitant, & dicunt Suarez *num. 5.* & Nauarrus in *præfati, qu. 8. art. 4. dub. 3.* non semper oportere peccare grauiter Parochum, si semel; aut iterum peccare, vel differat confessionem; dummodo non sit dilatio nimia, vel nisi grauis causa urgeat, ut si esset tempus Iubilei, vel longum iuxta aggre-

retur pœnitens, vel gravi tentatione vrgeretur. Hanc tamen limitationem impugnat Bonacina loco citato: quia, si omisso vnus confessionis esset materia levis, sequeretur, eum, qui semel in anno confessionem pretermittit, quam debet ex præcepto Ecclesiæ, vel quam ex voto, aut ex pœnitentia debebat singulis mensibus facere, non peccare mortaliter: quod constat esse absurdum. Ad hoc tamen facillè respondetur ex doctrina communi in materia de legibus, quam cum aliis obseruat Tho. Sanchez in lib. 1. in Decalog. c. 4. n. 6. nempe, eandem materiam posse esse grauem respectu vnus præcepti, seu vnus subiectionis, quæ sit materia levis respectu alterius, v. g. auditio vnus Missæ est materia grauis respectu præcepti Ecclesiastici de audienda Missa: & eadem esset materia levis, si in seculari Republica, & literaria Vniuersitate idem præciperetur: quia in ordine ad bonam ciuitatis, vel Collegij gubernationem, quam illa pollicetur secularis intendit, non est res magni momenti, omisso vnus Missæ. Similiter ergo dici potest, in ordine ad finem, & obligationem Parochi de prouidendo necessitatibus spiritualibus subditorum, non esse materiam grauem, dilationem vnus confessionis: quia non idè subditus cogitur graue detrimentum pati: licet confessio illa in ordine ad aliud præceptum, & ad finem procurandi perfectionem, & puritatem, possit grauis materia esse, quod in aliis multis exemplis facillè inuenitur.

Restat tamen difficultas, an teneatur Parochus toties, quoties subditus vult confiteri, an verò pluries quidem, quàm semel in anno; non tamen absque villo limite: tunc autem difficile erit assignare regulam, vel numerum determinatum. P. Suarez num. 5. dicit, si subditus importunè, & nimis frequenter confiteri velit, non teneri Parochum ad audiendum illum: oportet enim habere etiam rationem aliarum occupationum, seu obligationum ipsius Parochi, præsertim, quia non teneri summam diligentiam adhibere, vel laborem: sed moderatam, & prudentem sollicitudinem. Alij dicunt, debere eum audire in anno septem, vel octo vicibus, dum tamen id fiat cum moderatione, quando Parochus non est alijs grauioribus negotiis impeditus. Ita dixit P. Ioannes de Salas in suis

manuscriptis. Existimo, non posse vnā indiuisibilem regulam assignari, sed attendendum esse ad multitudinem pœnitentium, ad emolumentum, & stipendium Parochi, & potissimum ad necessitatem illius, qui confessionem petit. Nam, si ille sit in statu peccati, & desiderat remedium confessionis ad suam iustificationem puto, regulariter debere Parochum illum audire, si non habet alium, cui eius confessionem possit committere. Quia eiusmodi pœnitentes, qui lapsi in peccatum mortale, remedium confessionis statim querant pauci sunt: qui enim facillè in mortalia labuntur, non solent esse molesti nimirum Confessario, nec adeo solliciti in procuranda breuiter confessione; quare ex hoc capite, & horum occasione non cogetur Parochus graue onus subire. Aliunde verò cum Medicus sit suorum subditorum, videtur teneri ad curationem eorum, qui graui vulnere percussi eius operam implorant sicut Medicus corporalis ad hoc ipsum officium stipendio statuto electus non posset negare suam operam infirmis grauius aegrotantibus, etiam cum aliquo incommodo, & labore suo.

Si verò pœnitens non veniat propter statum peccati mortalis denuò commissi, in quo sit; sed propter deuotionem, aut Festum, in quo confiteri solet tunc attendendæ videntur illæ aliæ circum-

stantiæ: nam, si in oppido magno vnus Parochus, exiguo stipendio accepto, deberet septem, vel octo vicibus in anno audire mille subditos; grauisimum onus haberet, & improprium illi exiguo stipendio, quod ex beneficio habet. E contra verò, si in oppido paruo, vel etiam in magno pauci essent illi, qui confessionis frequentiam peterent, & redditus beneficij pingues essent: non solum octo, sed pluribus quidem vicibus teneretur audire pœnitentes: quia hoc onus non est considerandum seorsum respectu singulorum; sed respectu totius Communitatis, à qua tota accipit stipendium ad inseruiendum Communitati: quare debet considerari stipendium, quod accipit, non à singulis, sed à Communitate, & obsequium, quod præstat, non singulis, sed toti Communitati. Vnde si essent multi, qui frequenter vellent confiteri absque necessitate, & peccato mortali, ut dictum est, & stipendium esset tenue reputaretur illud onus grauius: si verò in Communitate sint pauci, qui ita frequenter confiteantur, non est graue onus, nec superat obligationem. Sicut in exemplo adducto Medici corporalis conducti à Communitate stipendio communi, & determinato, quod quidem si pingue esset, maiorem operam deberet exhibere & inuicere frequenter singulos infirmos, licet ij essent multi: si verò stipendium esset tenue, & infirmi essent pauci, adhuc eos deberet frequenter inuicere; quia illud totum obsequium Communitati exhibitum non superat stipendium à Communitate datum. Denique si stipendium esset tenue, & infirmi multi, non teneretur ad exquisitam diligentiam adhibendam, frequentius inuicendo, & assistendo: quia obsequium Communitati præstitum superaret nimis stipendium acceptum, & quia tenuitas stipendij supponit Medicum alia via, negotiatione, vel agricultura procuraturum sibi reliqua ad victum necessaria: sic etiam de Parocho. & Medico spirituali cum proportionem iudicandum videtur, in quo etiam tenuitas stipendij supponere videtur, quod debet sibi referuare tempus ad procuranda; quæ sibi ad vitam necessaria sunt, non neglecta salute subditorum in necessariis, & adhibita mediocri diligentia, & assistentia ad iis inseruiendum.

Demum duo obseruanda sunt primum est, licet Parochus requisitus à subdito nolit eum audire, etiam quando tenebatur, non ideo subditum posse pro libito eligere sibi, quem voluerit Confessarium: nam illa non est commissio iurisdictionis, sed negatio actus debiti, ut notat bene Pater Vasquez dicto dub. 6. n. 4. Secundò obseruandum est, quæ dicta sunt de Parochi obligatione ad audiendum subditum, magis habere locum in Prælato regulari, qui multo magis teneretur audire per se, vel per alios idoneos suum subditum volentem frequenter confiteri. Nam, licet non accipiat proprium stipendium à sua Communitate, teneretur tamen ex officio, ad quod non conducitur pretio, vel stipendio, sed eligitur ut totus ad bonum subditorum attendat, & inuigilet: & idè assumitur homo ab eadem Communitate accipiens omnia necessaria, ut ad alia negotia non distractus, plena cura, & diligentia procurer bonum subditorum. Quare, dum ex parte subditi non sit excessus ita, ut timeatur irreuerentia, vel nocuumtum aliquod propter nimiam frequentiam, maxime si scrupulosè fiat: non videtur neganda confessio frequens subdito religioso, etiam quotidiana, & multò minus Sacerdoti, qui quotidie solet celebrare.

S. 1. Qui te neantur ex charitate audire confessiones.

10. Proprii Pastores tenentur non solum ex charitate, sed ex officio, & quando.

Restat de tertio capite obligationis ex charitate, de qua supponenda nobis sunt principia magis recepta in materia de charitate, quæ hoc loco non sunt examinanda: quibus suppositis, dubium commune in præsentem est, an cum periculo propriæ vitæ teneatur aliquando Sacerdos audire confessionem pœnitentis. Et quidem, si sermo sit de proprio Pastore, quales sunt Episcopi, Parochi, & similes; non solum ex charitate, sed ex officio tenentur audire subditum constitutum, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate cōfiteendi: appellatur autem necessitas extrema, à qua non potest homo suis viribus, sine meo adiutorio, se liberare: gravis verò est, à qua potest, sed cum magna difficultate se liberare. Vtrique potest contingere circa confessionem: nam, si aliquis morti proximus sit in peccato mortali, & putet, non esse sibi remedium aliud præter confessionem quia nihil unquam de contritionis remedio audiuit, nec venit illi in mentem, quomodo habenda sit contritio: hic videtur esse in necessitate extrema cōfiteendi, cum non suppetat ei hic, & nunc remedium aliud ad obtinendam salutem. Ille autem, qui in simili periculo constitutus, potest quidem habere contritionem, sed cum magna difficultate, dicitur esse in necessitate gravi. Et in utraque proprius Pastor debet cum periculo vitæ suo subdito succurrere: quia bonus Pastor animam suam pro ouibus suis ponit, & magis obligatur Pastor, quam alij. Ergo si alij tenentur omnes in necessitate extrema, tenebitur Pastor etiam in necessitate gravi. Videantur Valentia 3. tom. disp. 3. q. 4. punct. 3. post quartam assertionem. Regn. lib. 4. cap. 45. n. 336. & 348. & 357. Bonacina disp. 3. de primo præcepto Decalogi, quæst. 4. punct. 4. n. 5.

De aliis verò qui non sunt proprii Pastores, suppono cum communi, & veriori sententia, teneri eos in necessitate extrema spirituali subuenire proximo, etiam cum periculo vitæ propriæ, verbi gratia baptizare puerum morientem iam sine baptismo: de quo videri possunt Valentia loco citato, Lorca 2. 2. sectione 3. disputat. 28. numer. 32. Suarez de charit. disp. 9. sect. 2. num. 3. Tanner. 2. 2. disput. 25. quæst. 3. dub. 4. num. 61. Coninch de fide, disput. 25. dub. 7. num. 88. & alij, quos assert Lorca loco citato. Quare occurrente simili necessitate extrema Sacramentum Pœnitentiæ, eodem modo teneantur alij, qui Pastores non sunt, cum periculo propriæ vitæ.

Difficultas est, quando non est necessitas extrema, sed gravis, quia aliquis in mortis articulo, propter difficultatem, quam timet ad contritionem habendam, petit confessionem; an teneatur Sacerdos, qui non est eius Pastor, exponere se periculo vitæ, ut eum audiat. Assistent Valentia, & Lorca locis citatis: Suarez etiam loco citato, & in præsentem disp. 32. sect. 1. num. 1.

Alij tamen probabiliter id negant. Nauarrus in Summa, capit. 24. num. 9. quem assert, & sequitur Coninch dicta disp. 25. num. 89. qui limitat obligationem ad causam, quo moribundus existens in peccato mortali ignorat omnino sibi necessariam esse contritionem, aut quid sit contritio, & quomodo debeat se ad illam excitare; & idcirco non cogit de illa habenda: quam sententiam sequitur etiam Bonacina loco supra citato, numero 4. Malderus 2. 2. quæst. 26. art. 5. & à fortiori eam tenent Boto de regendo secreto, membr. 2. quæst. 2. post 6.

conclus. & Emmanuel Sa verbo, Charitas, num. 4. Ratio est: quia, dum proximus absolute potest seipsum à periculo liberare; non ita meo auxilio indiget, ut debeam ego cum tam ingenti meo damno ei succurrere, qui cum minori expensa potuisset sibi subuenire.

Ab hac regula excipi solet indigentia, & necessitas gravis totius Communitatis, quæ licet non sit extrema, quia tamen communis est, debet præferri damno privato. Ratio autem esse potest, quia in necessitate gravi Communitatis vix fieri potest, quod non sit necessitas extrema respectu aliquorum. Vnde, quando peste grassante, ob carentiam Sacerdotis morerentur communiter abluere confessionem, non videtur excusandus ab obligatione gravi ob periculum vitæ Sacerdos prius, licet non esset Pastor, si alij non subueniant: quia necessitas communis gravissima est; & vix fieri potest, ut respectu aliquorum non sit extrema. Quod ad alios casus similes ob eandem rationem extendi debet.

S E C T I O II.

De obligatione interrogandi, docendi, corrigendi, & disponendi pœnitentem.

Hæ sunt præcipuæ obligationes Confessarii in ipso actu confessionis, de quibus, partim in superioribus dictum est, partim, in præsentem dicemus. Et in primis advertendum est, apud Summas inueniri plures interrogationes, quas debet Confessarius præmittere ante confessionem peccatorum in particulari, v. g. an fecerit examen diligenter ab ultima confessione; an impleverit pœnitentiam sibi impositam: an afferat dolorem, & propositum requisitum; an debeat restitutionem præcunæ, honoris, vel fame, an habeat casus reservatos, an excommunicationem aliquam & qualem. Nauarrus tamen c. 10. dicit, hoc sibi olim placuisse: sed iam displicere: quia non est obligandus pœnitens dicere peccata sua extra, vel ante confessionem: quod etiam dicere videtur Medina in Summa, lib. 2. cap. 18. Sed illa ratio parum viget: certum enim est, illa omnia cadere sub sigillo confessionis, ut fatetur idem Medina lib. 1. cap. 7. Melius tamen probari potest: tum, quia, ut in plurimum erunt inutiles illæ interrogationes; tum, quia ex ipsa confessione cognosci illa possunt, & aliunde sæpè erit vitale confessionem audire, licet postea non sequatur absolutio: quia ipsamet confessione emollietur cor pœnitentis, & concipiet dolorem, ac propositum, quo carebat, præsertim superata iam illa difficultate, & labore confessionis. Vnde hac de causa c. Quod quidam de penis. & remiss. præcipitur recipi confessio horum, licet ad absolutionem non sint dispositi. Illud tamen iudico vtilissimum, quod pœnitens ignotus communiter interrogetur initio de tempore elapso ab ultima confessione: nam id multum iuvat ad numerum peccatorum postea melius percipiendum.

Quod verò aliqui monent, ne Confessarius pœnitentem interrumpat interrogationibus; sed si quid interrogandum, reprehendendum, vel monendum sit, referatur in finem, ne terreatur, vel turbetur ab iis dicendis, quæ præmeditatus fuerat; hoc in uniuersum non probo, quia plura memoria Confessarii excident, præsertim si confessio brevis non sit. Quare, si aduertatur obligatio restituendi, si ignorantia culpabilis, atque etiam conscientia erronea circa aliqua, vel quid

11. Si qui non sunt proprii Pastores, tenentur in necessitate extrema.

12. Quid in necessitate gravis.

simile; satis erit suauiter eum succedere adiuvare: quod idem magis expedit circa numerum, species, circumstantias peccatorum, quæ dicit: quæ omnia, si in finem reuerentur, confusionem, & obliuionem plerumque afferunt Confessario.

Difficultas est, an Confessarius obligationem habeat interrogandi poenitentem circa alia peccata, quæ non dicit; an verò possit contentus esse iis, quæ dicit ex se, non querendo de aliis. Ioannes Medina C. de conf. quasi de conf. dimidiat. iterand. docet, quando Confessarius videt poenitentem diligenter examinasse conscientiam; sed tamen videt, illum oblitum vnius peccati, quod fecit; non tamen illud in memoriam reuocare, nisi peccatum esset in damnum proximi: quia confessio illius peccati, neque est tunc necessaria ad integritatem, cum confessio sit formaliter integra, & præcellerit diligens examen, vt suppono, neque est necessaria propter veniam illius peccati, cum illud simul cum aliis indirectè remittatur in illa confessione. Quam sententiam non facile posse falsitatis conuincere dicit Valquez q. 3. art. 3. dub. 7. n. 2. & videtur eam probabilem æstimare, cum contrariam solum probabiliorē esse dicat.

Eam tamen sententiam reiciunt alij Theologi cum Magist. in 4. dist. 19. & Sancto Thoma ibi, in fine l. i. c. 1. Syluester, Antonin. Angelus, Nauarrus, Cano, quos affert, & sequitur Suarez in præsent. dist. 32. sect. 3. n. 7. Et in primis conueniunt omnes, quod quando omisso alicuius peccati prouenit ex defectu diligentis examinis, debet Confessarius illud in memoriam reducere; siue negligentia examinis fuerit culpabilis; siue etiam inculpabilis, & orta ex ignorantia, & tarditate poenitentis, qui non scit melius se examinare, prout oportet, vt facit Valquez ubi supra, num. 4. Rursus, quando Confessarius aduertit, poenitentem scire, & posse ex se adhibere debitam diligentiam in examine, & de facto adhibuisse, non debet Confessarius aliam interrogationem addere, si nesciat, aliquid per obliuionem esse omisissum.

Ex quibus probari potest, debere etiam Confessarium interrogare eum, qui diligenter se examinauit, si peccatum oblitus illud prætermittit; quia, si non esset interrogandus, qui satisfecit obligationi examinandi diligenter suam conscientiam; neque etiam esset interrogandus rusticus, qui multa omittit ob ruditatem, & ignorantiam; nam hic etiam diligenter se examinauit; quod autem peccata taceantur propter obliuionem, vel propter ignorantiam, parum refert, cum in iure obliuio, & ignorantia inculpabiles semper æquiparentur, & cum illa ignorantia potuit stare diligens examen iuxta capacitatem suam; & tamen omnes fatentur, rusticum interrogandum: ergo & ille alius interrogandus erit, cum eadem sit ratio de vtroque.

Ratio autem à priori desumi videtur ex officio Confessarii, qui Iudex est proferens sententiam, non solum circa illa peccata, quæ audit, sed circa personam quam dom sacramentaliter absoluit; iudicat illam debere reconciliari cum Deo, & quantum ex se est, reconciliat: ad hoc autem oportet, quod cognoscat plenè totum statum conscientie poenitentis, ad videndum, an sit aliquid, quod obstat eiusmodi reconciliationi. Quare, quoties videt, non plenè manifestari ab ipso poenitente, debet ille ex officio inquirere: alioquin, si non haberet hanc obligationem inquirendi, & interrogandi, non solum non deberet, sed nec posset interrogare de aliis peccatis, sed solum deberet proferre sententiam iuxta ea, quæ audit, nihil aliud interrogando. Certum est autem, posse Confessarium.

P. Ioann. de Lugo de Poenitentia.

rium, quia iudex est, interrogare, imò debet id facere, vt constat ex c. Omnis vtriusque sexus, de poenitent. & remiss. vbi dicitur: Sit Sacerdos discretus, & cautus, more periti Medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias, &c. Et potest, non solum circa illa peccata, sed de aliis interrogare, vt plenè informetur, antequam proferat plenam absolutionem personæ: ergo debet ita facere; quia iudicium prudens semper prærequirit plenam informationem, & examen testium circa ea, quæ pertinent ad sententiam proferendam.

Circa hoc tamen debitum interrogandi obseruat prudenter Valq. n. 3. licet iustici inueniantur negligenter examinari, non esse communiter dimittendos, vt se examinent, & redeant: quia de iis præsumitur, licet milles se examinent, non fore magis aptos, quàm si ab ipso Confessario breuiter interrogentur, & examinentur: id, quod nos supra notauimus dist. 16. sect. 14. n. 593. vbi etiam latè probauimus, hoc examen, & interrogationem Confessarii debere fieri iuxta regulam prudentiæ, & non metaphysicè, sed moraliter, ac humano modo, ita vt Sacramentum non fiat onerosum, sed sit facile remedium iuxta debilem hominum conditionem, prout à Christo fuit institutum.

Dubitari solet, quid facere debeat Confessarius, qui scit, poenitentem commisisse aliquod peccatum, quod neque ex se, neque etiam interrogatus confiteatur. Doctores communiter dicunt, quando Confessarius id euidenter scierit, & scierit etiam euidenter quod non fuerit prius alteri peccatum illud confessus, non posse illum absolvere, cum constet de defectu integritatis formalis. Ita Suarez dist. 3. n. 9. Henriquez lib. 6. cap. 20. num. 6. Fagundez lib. 6. de secundo præcepto Ecclesiæ, cap. 4. num. 38. & alij communiter. Contrariam tamen sententiam tenere videtur Megala 1. par. lib. 1. cap. 2. n. 12. quia sæpè contingere potest, quod poenitens habeat causam rationabilem, saltem in sua apprehensione, tacendi illud peccatum ad vitandum, v.g. damnum suum, vel alterius: poterit ergo sæpè Confessarius existimare quod poenitens ex rationabili causa id neget, saltem existimata; atque adeo non esse defectum formalem, sed solum materiale integritatis requisitæ.

In hoc non potest esse controuersia, nec Suarez & alij negant, quod quando dubitat Confessarius, an poenitens licet neget, saltem iuxta suam existimationem, peccatum, quod commisit; possit illum absolvere. Suarez enim expressè, dicit, non posse absolui, quando euident est Confessario, poenitentem mentiri contra integritatem confessionis: in prædicto autem casu non mentiretur, nec faceret contra integritatem confessionis; cum posset vt æquiuocatione licita, & non violaret præceptum integritatis, cum haberet legitimam causam excusantem, saltem iuxta suam existimationem. Omnes ergo debent conuenire, quod si Sacerdos sciat euidenter, poenitentem sacrilegè negare peccatum, non potest eum absolvere; posse verò, si hoc non sciat.

Petes, quid, si Confessarius ex aliorum confessione euidenter sciat, Petrum commisisse tale peccatum, quod ipse postea in confessione negat? Respondetur, repugnare, quod aliorum confessione id euidenter sciat, cum tota illa notitia resoluatur in testimonium alterius poenitentis: quare magis debet credere ipsi Petro in sua causa, quàm aliis.

§. 1. *An debeat Confessarius pœnitentem corrigere, & ei auferre ignorantiam circa peccata, quæ facit.*

23. **H**oc est secundum Confessarij munus, docere, & corrigere pœnitentem: cuius est Medicus, & doctor. De quo; ultra alios, latè, & optimè agit Thom. Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 38. per totam. Aliqui enim distinguunt de ignorantia iuris naturalis, & diuini, quam dicunt semper debere auferri à Confessario. Alij distinguunt de ignorantia circa ea, quæ omnes scire tenentur; vel de iis, quæ non omnes scire tenentur: quas distinctiones benè impugnât Suarez in præsent. disp. 3. sect. 4. Videri etiam potest Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 9.

Ignorantiam ex conscientia erronea debet Confessarius à pœnitente auferre.

Dicendum ergo breuiter est, quoties ignorantia est contra ipsum pœnitentem, qui ex conscientia erronea putat esse peccatum id, quod reuerà non est peccatum, debere omnino Confessarium eiusmodi ignorantiam auferre, quæ maximum detrimentum pœnitenti affert. Similiter, quoties ignorantia est vincibilis, & culpabilis, debet eam auferre: quia, dum perseverat, pœnitens est indispotus ad absolutionem, & non vitat, sed causat peccatum, & eius perseverantiam. Debet autem prudenter examinare statum, & qualitatem ignorantie, an sit culpabilis: ita tamen ut ipso examine, ac interrogatione non det occasionem dubitandi pœnitenti, & inferat ei malam fidem, quam antea non habebat: quare solum in communi, & quasi aliud agens debet interrogare, an habeat conscientie remorsum circa aliquam materiam grauem.

24. *An debeat auferre ignorantiam inuincibilem.*

Quando ergo ignorantia est inuincibilis, siue sit facti, siue iuris humani, siue diuini, vel naturalis, debet cautè procedere: nam si præuider ignorantiam ablata redundare debere in nouum peccatum pœnitentis, qui prosequetur faciens cum peccato, quod prius licitè faciebat; debet potius dissimulare, dum non interrogatur. V. g. si vider pœnitentem esse in coniugio cum impedimento irritanti factò, non debet illud aperire, si ex hoc scandalum sequeretur, & maius damnum pœnitentis, cuius maius bonum procurare debet. Quod locum habet etiam si aliquando pœnitens dubitauerit: si tamen postea, propter aliorum consiliu, vel propter aliam causam, dubium deposuerit, & iam nunc in bona fide inuincibiliter reperitur. Item, licet pœnitens confiteatur peccatum commissum in ipso coniugio, v. g. contrahendo cum tali impedimento; si tamen non putet esse invalidum, non debet nullitatem aperire; sed absoluerè à peccato commissò. Denique idem contingere potest, si ignorantia sit circa matrimonium nondum contractum, sed iam contrahendum: quod totum permittere potest Confessarius, quando ex manifestatione veritatis timet, quòd prosequetur cum mala fide ad faciendum id, quod absque peccato nunc facit.

25. **D**ubium est, quid facere debeat Confessarius: quando coniux, cuius matrimonium est nullum, non vult reddere debitum viro, putans esse validum. Nam Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. ad 2. dicit, non posse Confessarium dicere uxori absolutè, quòd reddat debitum, cum id sit consulere fornicationem; sed debere dicere in genere, quòd coniuges tenentur reddere debitum. Hanc tamen distinctionem impugnât Sanchez ibi n. 8. cum alijs: quia illa verba in iis circumstantiis eandem vim habent, ac si diceret: *Redde debitum*. Poterit ergo absolutè dicere: *Tu teneris reddere debitum*, quod

verissimum est: quia in eo statu, & cum tali bona fide tenetur sub peccato reddere debitum.

Limitant aliqui primò suprà dictam doctrinam, ut Confessarius teneatur docere pœnitentem, quando eius ignorantia redundat in detrimentum proximi: v. g. si bona fide possideat hereditatem, quam Confessarius nouit ad alium pertinere: si exerceat contractum usurarium, quem inuincibiliter ignorat esse talem. Sed Sanchez, & alij melius dicunt, etiam in hoc casu debere tacere, quando non sperat profectum, cum eadem sit ratio, & nihil profuturum sit creditori, quòd Confessarius aperiat veritatem.

Addit Sanchez n. 10. hæc omnia procedere, etiam si Confessarius speret pœnitentem libenter monitionem susceperum; sed tamen videt remedium esse difficillimum, ut si scandalum, & infamia notabilis sequatur. Quod etiam videtur sentire Suarez, quod filijs aduenire potest ex separatione, v. g. matrimonio. Ratio autem esse potest: quia officium docendi, quod Confessario competit, sicut non obligat cum grauissimo detrimento proprio: nec cum tali detrimento alieno, quando res ipsa propter ignorantiam inuincibilem sit sine peccato. Cum enim doctrina ipsa ordinetur ad bonum pœnitentis; considerare oportet, & ponderare vitiumque malum, nempe, illud malum violationis legis Dei materialis, & absque peccato; & illud aliud malum ac detrimentum temporale, quod incurritur ex monitione, & ex ablatione ignorantie: potest enim hoc aliquando illi præponderare, & tunc omittenda erit admonitio. Extra hos verò casus, quando speratur profutura admonitio sine scandalo, & detrimento graui, debet Confessarius pœnitentem docere, siue ignorantia sit facti, siue iuris diuini, vel humani, vel naturalis: quia Confessarius, vel est Pastor ex officio, vel tunc saltem tenet locum proprii Pastoris ex eius delegatione: ad Pastorem autem pertinet docere subditos, quæ necessaria sunt ad seruandam legem Dei.

Hinc in fertur, idem dicendum esse, quando pœnitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adè difficillè, ut non credatur tunc æquo animo recepturus, & alia vice melius suscepturus iudicetur: poterit enim tunc relinqui in sua bona fide, quæ à peccato excusat, & admonitio seruari in meliorem opportunitatem, ne dereritis ablineat à confessione, & maius detrimentum patiaror.

Addunt aliqui secundò, quando Confessarius verissimiliter credit, ipso tacente, alium non ita tutum rem manifestaturum, qui imprudens medietur illi malo; tunc melius faciendum Confessarium suauiter nunc admonendo, nisi remedium sit intolerabile. Ita Cano relect. de pœnitent. part. 5. Id verò intelligendum est. Quæ tamen limitatio non placet Thomæ Sanchez numero 13. quia casus non contingit: moraliter: & licet moralis esset, Confessarius faceret, quod in se est tacendo: culpæ autem alterius Confessarij imprudentis imputabitur postea admonitio malè facta. Cæterum, adhuc existimo veram Cani limitationem: quia, cum tota hæc admonitio, vel eius omisso ordinari debeat ad bonum pœnitentis; consequens est, ut quando attentis omnibus circumstantiis iudicatur utilior admonitio, quàm silentium fieri debeat. Sic autem iudicaretur in illo casu: quia inter circumstantias debet etiam attendi ad periculum illud maioris mali ex sequenti admonitione imprudenti: ergo melius satisficeret muneri suo primus Confessarius admonendo, quàm tacendo.

Quid

29. Quid verò, si pœnitens interroget Confessarium, vel Doctorem de re illa? Responderetur, tunc debere veritatem aperiri: quia iam illa taciturnitas esset erroris approbatio, quod nunquam licet. Ita Soto, Ledesma, Corduba, Angles, Henriquez, Aragon, Medina, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *num. 14*. Idem docet Suarez *disla sect. 4. n. 2*. Addit verò Sanchez cum aliquibus: quando pœnitens non cum dubio, sed ex scrupulo interrogaret, posse Confessarium tacere, vel respondere, quod deponat scrupulum: quia scrupulus non impedit bonam fidem, nec ignorantiam inuincibilem, quæ illum excusat. Hoc tamen non videtur satis consequenter dici: quia, etiamsi pœnitens ex scrupulo interroget, non potest Confessarius affirmare licitum, quod est illicitum: ergo nec poterit tacere: quia silentium Confessarii, proposita interrogatione, pœnitens interpretatur affirmationem, & per consequens Confessarii auctoritate faceret, quod prius ex ignorantia faciebat. Unde alij merito etiam in casu scrupulose interrogationis idem dicunt, Soto, Angles, Barthol. à Ledesma, Ludouic Lopez apud Sanchez *disla n. 14*. Posset quidem Confessarius in illo casu fingere, se non audisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse respondere, ut sic remaneat pœnitens in eadem bona fide, quam prius habebat; non tamen ipsius auctoritate confirmata.

30. Limitari etiam solet tertio, quando illa ignorantia non redonat in malum contra bonum commune: quia bonum publicum præponderat bono privato pœnitentis. Exempla sunt, quando Parochus inuincibiliter habet opiniones erroneas, quas subditis ingerit circa mores. Idem esset, si aliquis bona fide putat, se esse Sacerdotem, cum non sit, cuius ignorantia redonat in damnum commune eorum, qui ab eo Sacramenta irrita suscipiunt. Item, si esset publica fama, & scandalum de nullitate matrimonij; coniux autem ipse eam ignoraret.

Hoc ipsum dicendum videtur, quoties ex silentio Confessarii pœnitens inferret aliquod dogma falsum contra fidem, vel mores, ut, si inde colligeret, possideri posse licite plura beneficia curata; vel posse sine iusta causa non resisti cum dispensatione; vel licere fornicationem, aut debellare infideles sine alio titulo legitimo: quæ omnia, si semel haberentur ex tacita approbatione Confessarii, iam redondaret illud silentium in damnum commune, cum omnibus nocere posset illa opinio, si paulatim spargeretur.

Limitatur quarto, quando scandalum pœnitentis, quod timetur, breue, & momentaneum sit; & spes sit, quod licet tunc non habeat effectum; breui tamen admonitionis fructus habebitur. Sic Adrianus, Ioan. Medina, Cano, & Corduba, quos refert, & sequitur Sanchez *n. 16*. quorum aliqui addunt, melius esse admonere pœnitentem post absolutionem, ne impediatur fructus Sacramenti.

31. Restat difficultas, quando Confessarius, nec scit profuturam admonitionem, nec etiam scit obfuturam, an in dubio debeat nocere pœnitentem: de quo nihil inuenio apud prædictos Auctores. Et quidem, si dubitat de profectu, sed non timet damnum, certum est, quod teneatur admonere, tam ex charitate, quam ex officio Magistri, & Pastoris, ut in simili docet Iacobus Granado *2.2. contr. 3. tract. 12. disp. 1. num. 6*. de eo, qui dubitat, an correctio fraterna sit profutura. Quando verò dubium esset, an profutura, vel obfutura sit admonitio; tunc videtur bona illa regula, quam circa eandem correctionem fraternam adhibet Fillinius cum alijs

P. Ioann. de Lugo de Pœnitentia.

tom. 2. tract. 28. c. 6. n. 335. ut comparetur vtilitas, & damnum: & gradus timoris, ac spei: ac omnibus pensatis illud eligatur, quod præponderare iudicatur. Cum enim finis admonitionis, vel silentij, sit bonum pœnitentis, vel etiam bonum publicum, quando illud interuenit in illam partem debemus inclinare, quæ secundum præsentem statum eligibilior est: quod tamen non est metaphysice considerandum, ita ut, si parius sit ex altera parte excessus sit culpa grauis oppositum facere.

Ad hanc eandem obligationem docendi pœnitentem pertinet aliud commune dubium, quando pœnitens, cum sit Iudex non satisfacit debito suo condemnandi reum pena capitis, an debeat Confessarius illum docere, & hortari ad id faciendum: an verò propter irregularitatem debeat tacere. Aliqui enim dicunt, esse irregularem; si in casu aliquo particulari dicat, debere occidi aliquem reum, vel id pœnitenti consulat: sed debet tunc respondere, ut consulat Iureconsultos, & videat, quid leges præcipiant. Ita Henriquez *lib. 14. de irregul. c. 16. n. 4*. Auila de censur. p. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 6. concl. 2. Alij dicunt, Confessorem posse dicere, quid dicent leges in communi, nihil aliud præcipiendo, aut consulendo in particulari, nec dicendo, quid ipse sentiat. Ita Molina de iustitia, *tom. 4. tr. 3. disp. 74. numero 4*. Ioan. de la Cruz in direct. conscientie, *part. 2. de irregul. dub. 5. conclus. 4*. Bonacina cum alijs, quos refert *disp. 7. de censuris, quest. 4. punct. 1. n. 7*. quibus consentit Suarez de censuris, *disp. 47. sect. 1. num. 8*.

Hoc tamen difficile est: quia reuera illa verba generalia in illis circumstantiis, & præsertim in actu confessionis æquivalent consilio, vel præcepto occidendi hunc reum: quare probabile mihi videtur, quod alij dicunt, non incurri irregularitatem à Confessario propter tale consilium, vel præceptum: quam sententiam tenuit P. Vasquez, vi refert Luisius Turrianus de censuris, *lib. 9. disp. 66. dub. 4*. qui eandem ibi sequitur: & 2.2. *tom. 1. disp. 93. dub. 2*. & Diana 2. *tom. tract. 5. miscell. resol. 80*. Quæ opinio redditur magis secura ex alia, quam ex eodem Vasquez refert, & sequitur idem Turrianus *disla disp. 66. dub. 3*. quæ dicit, irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri à personis priuatis: sed à solis iis, qui spectant ad iudicium, & Ministris iustitiæ, ut Iudice, tabellione, Aduocato, Procuratore, accusatore, teste, &c. non verò ab alijs, qui sunt extra iudicium: quia in iure non inuenitur pro illis talis irregularitas imposita. Ex qua doctrina, quæ probabilis est, cessat omnino scrupulus in casu nostro.

Sed tunc redit difficultas, an, si Confessarius videat, Iudicem non peccare: sed bona fide, & cum inuincibili ignorantia velle absolueri reum, quem damnare debet ad mortem, debeat illum admonere de suo debito: an verò possit illum relinquere in bona fide. Certum mihi est, debere eum corrigere, si scienter, vel cum ignorantia crassa, vel vincibili procedit, & absoluit, quem licite non potest absolvere: quia iam non esset dispositus Iudex ille ad absolutionem Sacramentalem. Quando verò procedit bona fide, & cum ignorantia, vel inaduertentia inculpabili: rursus distinguendum est iuxta *supra dicta*. Nam si pœnitens habebit magnam difficultatem in proferenda sententia capitali, atque adeo timeatur maius malum pœnitentis, vel scandala, aut perturbationes, &c. dissimulare debet Confessarius. Si verò è contra ex ignorantia illa Iudicis, & omissione iustæ sententiæ sequitur damnum publicum, v. g. absolutio talis delinquentis, qui multum nocebit populo,

S f 2 vel

32. An Confessarius metu irregularitatis, debeat non docere pœnitentem.

33.

34. An possit Iudicem relinquere in bona fide.

vel scandalum publicum de contemptu iustitiæ; debet moneri pœnitens, quicquid ex monitione consequatur. Denique, si ex illa ignorantia, & omissione iustæ sententiæ non consequitur aliud damnum: dubitari potest, an Confessarius debeat Iudicem admonere de sua obligatione, quam inuincibiliter non aduerit, si credit eum admonitionem bene accepturum, & facile obtemperaturum. Nam ex vno capite videtur semper ex monitione sequi damnum alicuius, nempe ipsius puniendi: quare sicut propter damnum liberorum dicunt aliqui posse Confessarium tacere pœnitenti impedimentum, & nullitatem matrimonij; cur propter damnum rei puniendi non poterit tacere iniustitiam sententiæ, quam Iudex cum ignorantia inuincibili vult proferre? Ex alio tamen capite urget regula generalis, quod Confessarius debet corrigere pœnitentem in iis, in quibus per ignorantiam peccat, saltem materialiter. Damnum autem, quod inde resultat delinquenti non videtur excusare: quia illud ipsum est bonum reipublicæ, cui multum expedit, quod delinquentes puniantur, & iustæ leges obseruentur. Neque enim quodcumque damnum alicuius excusat; alioquin nunquam Confessarius deberet monere pœnitentem de obligatione restituendi, quàm inuincibiliter ignorat, etiam si sciat, profuturam admonitionem: quia, nimirum, inde consequitur damnum ipsius pœnitentis in iis, quæ bona fide possidet: quod tamen nemo concedit. Ergo similiter in casu nostro dicendum est.

35.

22

Ego quidem existimo, casum illum vltimum moraliter contingere: nam, vel res est clara, & certa, quod debeat reus puniri; & tunc Iudice non satisfaciente suo debito, scandalum publicum oritur, ratione cuius Confessarius deberet admonere pœnitentem de sua obligatione propter bonum commune. Si verò res non sit clara, & certa, non pertinet ad Confessarium partes accusatoris suscipere, ut agat contra reum; sed debet serio admonere Iudicem, ut consulat bene Doctores, & leges, nec facile procedat ad absolvendum intuitu clementiæ, nisi fundamenta habeat ad probabiliter saltem iudicandum, quod possit absolui. Si denique fingamus certam esse obligationem condemnandi reum, eamque latere Iudicem, & alios præter Confessarium; tunc seruanda esset regula generalis de instruendo pœnitente in iis, quæ ob ignorantiam delinquit. Sed meo iudicio prudentius ageret Confessarius, si dum ab illo non interrogatur, aliquantulum differret confessionem, qualis alio prætextu, vel certe fugeret occasionem audiendi pro tunc Iudicem, donec reus esset absolutus, ne susceperet odiosum illud munus admonendi, & instruendi Iudicem contra reum, quem volebat absolueret; neque enim extra confessionem obligaret præceptum mære fraternel correctionis ad corrigendum Iudicem in ea materia, in qua ob ignorantiam inculpabilem ipse non peccabat, & cum tanto damno delinquentis capite damnandi.

36.

Quid de Confessario rei.

Hinc infero obiter primò, eodem ferè modo loquendum esse de Confessario, qui reo consulit, ut fateatur crimen, quod licet non potest negare, licet ea de causa interficiendus sit; vel, quod non appellet à sententia capitali, à qua licet non potest appellare. De quo dicendum similiter est, non incurrere ea de causa irregularitatem, licet pœnitens ob eius consilium moriatur, ut obseruat Cornejo in 3. part. S. Thoma, tract. de irregul. disp. 11. dub. 1. quest. 4. Debet etiam dissimulare cum pœnitente, quando videt illum in bona fide, quæ putat se non teneri ad confitendum crimen, nec imponere illi tale onus, dum non interrogatur ab

ipso, si prouidet, eum difficile reducendum ad confitendum crimen, propterea regulariter presumi potest: præsertim cum sit multorum sententia negans talem obligationem crimen confitendi cum periculo vitæ, vel mutilationis membrorum, de qua in tract. de iust. & iure. Denique, quando Confessarius iudicaret, reum obligari ad confitendum crimen; prudenter ageret si dum ab illo non interrogatur, pro tunc confessionem differret, & relinqueret eum in sua bona fide; donec, negotio crimine, & transacta iam illa occasione adde vehemementi, posset illum audire absque obligatione docendi eum, qui, ut suppono, non esset iam amplius à Iudice examinandus.

Infero secundò, quid dicendum sit de obligatione, quam habent Confessarii Prælatorum, Principum, Gubernatorum, & similium, quando vident, aut sciunt ipsos non satisfacere reuera suo debito circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, subditorum gubernationem, circa elemosynas ex superfluis faciendas de redditibus Ecclesiasticis; & alia similia: de quibus illud notandum est, raro contingere, quod ignorantia sit inuincibilis, & inculpabilis: item, raro contingere, quod ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, qui facile putant licita, quæ à Prælati, & Principibus fieri vident vel certe non afferat damnum commune: quare regulariter Confessarius tenetur admonere pœnitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione; nec satisfacit suo muneri, absolendo à peccatis, quæ pœnitens dicit; sed potius imponit suis humeris peccata cetera, & errores, quos in pœnitente dissimulat, & cæcæm ducente, ambo in æternam fontem cadent. Si formidat ergo potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium; sed modeste se excuset, tanquam minus aptus ad illud onus portandum. Hæc autem dicta sunt de Confessario, qui scit, pœnitentem non satisfacere reuera suo debito. Si autem hoc non scit, sed habet rationem dubitandi, interroget pœnitentem, qualiter se gerat in his: si verò dubium Confessarii sit circa ipsum ius, & obligationem pœnitentis, consulat Auctores, atque etiam homines doctos, & pios, salvo tamen sigillo confessionis & tunc, si errorem pœnitentis inueniat, modeste moneat rationem in promptu habens sine monitionis. Denique, si viderit ignorantiam pœnitentis esse inuincibilem, neque ex illa sequi scandalum, aut damnum commune; è contra verò admonitionem futuram in maius malum pœnitentis, aut allaturam scandala, vel incommoda supra enumerata; poterit dissimulare iuxta regulas supra traditas.

Restat, circa hanc ipsam obligationem corrigendi pœnitentem, aliud vulgare dubium, an debeat Confessarius sequi opinionem pœnitentis, qui dicit, sibi licere aliquid quod Confessarius illicitum opinatur. Continget enim sæpe, quod Confessarius pœnitentem moneat, hic verò se excuset, dicendo, se consuluisse alios, qui dicunt, id esse licitum, sub quorum auctoritate ipse securè operatur.

§. 2. An possit, vel debeat Confessarius sequi opinionem pœnitentis contra propriam sententiam.

Plures fuerunt sententiæ antiquiores de hoc puncto. Prima, & satis communis distinguit de Sacerdote proprio, & delegato: hunc dicit, non debere sequi sententiam pœnitentis contra propriam, illum verò dicit debere. Hanc tenent Con-

radus, Antonius, Angelus, Syluester, quos affert Thom. Sanch. lib. 1. in Decalog. c. 9. n. 27. qui fere omnes addunt, neque etiam posse delegatum se conformare opinioni penitentis.

Secunda sententia est Ioannis Medinae *Cod. de confess. quest. de confessione dimidiata iteranda, vers. Sequitur iam*. qui dicit, quando agitur de damno tertij, obseruandam esse illam distinctionem de Confessario proprio, vel delegato: quando vero non agitur de damno tertij, vtrumque debere se conformare opinioni probabili penitentis.

49. Tertia sententia communis iam, & vera est, vtrumque Confessarium posse, & debere semper sequi opinionem probabilem penitentis. Hanc tenent Suarez in *presenti*, disp. 43. sect. 5. Vasquez in 1. 2. disp. 62. c. 7. n. 39. & 40. Salas ibid. tract. 8. disp. unica, sect. 9. à num. 82. Victoria, Sotus, Nauarrus, Ledesma, Henriquez, Azor, Rodriguez, Saloni, Valentia, & alij, quos afferunt, & sequuntur Sanchez, *ubi supra*, num. 28. & Diana tom. 1. tract. de opin. probab. resol. 11. Et quidem, quod possit, non videtur, dubium, cum vnusquisque possit in sua causa sequi opinionem probabilem; quanto magis in causa aliena poterit permittere, illum alium eam sequi; Quod autem debeat se conformare, probatur: quia, licet Confessarius delegatus posset non audire confessionem; ea tamen audita, non potest non proferre sententiam, si penitens est legitime dispositus ad absolutionem: est autem dispositus penitens quia iuxta opinionem probabilem operatur; cum nemo teneatur in operando sequi opiniones probabiliores, sed possit sequi probabiles, regulariter loquendo: ergo non potest Confessarius negare ei absolutionem.

40. Obiiciunt aliqui: Iudex non potest proferre sententiam secundum opinionem probabilem relicta probabiliori: sed Confessarius est Iudex: ergo non potest iudicare secundum opinionem probabilem penitentis; relicta sua probabiliori. Respondetur, concessa maiori de Iudice in humanis, de qua dixi in tract. de iustit. & concessa minori negando consequentiam: quia Iudex in humanis habet illam obligationem, eò quod à Republica, vel à Principe sit constitutus ad diligenter inuestigandam veritatem in litibus occurrentibus, cui debito non satisfacit, si relicta securiori via inueniendi veritatem, eligit minus securam. At verò Confessarius constituitur ad inuestigandam veritatem circa ius, sed circa factum, an, scilicet, ipse penitens peccauerit, & ad absolueundum, eam inuenit rectè dispositum; quare debet illum absolue, quem inuenit habere dolorem, & propositum seruandi omnia mandata Dei eo modo, qui sufficit ad non peccandum, quod sufficit operari iuxta opinionem probabilem.

41. Contra hæc tamen videtur esse difficultas non levis: quia, si Confessarius tenetur sequi opinionem probabilem penitentis, eò quod penitens tunc est dispositus sufficienter ad absolutionem: ergo debet Confessarius penitentis opinionem sequi, quam penitens æstimat esse probabilem, licet Confessarius sciat, vel indicet, non esse probabilem: quia tunc etiam penitens est sufficienter dispositus ad absolutionem, parum enim refert, quod opinio in se non sit probabilis; si tamen in existimatione penitentis sit probabilis; nec ipse obligatur ad sequendas opiniones re ipsa probabiles; sed quas ipse existimat esse probabiles: si ergo vult seruare legem Dei iuxta sententiam, quam putat esse probabilem, non peccat; & per consequens erit sufficienter dispositus ad absolutionem. Potest

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

autem hic casus frequenter occurrere: imò hic est casus, qui in ordine ad proximam difficultatem habet: nunquam enim Confessarius penitenti dissentit, eò quod penitens velit sequi opinionem probabilem; sed, quia Confessarius contendit, non esse probabilem, nec tutam, quam penitens è contra contendit esse probabilem, & securam. Contingit autem sæpe, quod Confessarius dicat, aliquid non posse absque peccato fieri, debere restitui, abstinendum à tali contractu vsurario, vel alia similia; penitens autem respondet: Ego scio, qui debeam in hoc agere: consului homines doctos, & scio, me posse licite hoc facere. Tunc ergo videtur esse perplexitas pro Confessario: quia debet credere in eo foro penitenti pro se, & contra se: cum ergo penitens affirmet, se fecisse, quantum debebat, vt obseruaret legem Dei, & haberet iudicium prudenter probabile, quod licite faciat id quod facit; debet hoc Confessarius credere: si autem id credit, iam poterit, & debet absolue eum, quem legitime dispositum inuenit ad absolutionem recipiendam.

Videntur autem afferri posse pro hac parte, quæ Doctores obiter dicunt in hoc puncto: nam Palatius *diffin. 17. disp. penult. prope finem*, indicat quod si Confessarius non potest convincere penitentem, nec persuadere illi suam sententiam, alioquin sibi certam; tunc Parochus tenetur eum absolue: delegatus autem tunc solum, quando non est in præiudicium tertij. Mercado de *contract. cap. 15.* dicit, si opinio penitentis sit error, non debere Confessarium se illi conformare: quare videtur in aliis casibus supponere, quod possit se conformare. Soto *diffin. 18. quest. 2. artic. 5. ad 5.* & Valent. 3. tom. disp. 5. quest. 7. punct. ult. in fine, quos refert, & sequitur Sanchez *ubi supra*, n. 30. dicunt contra Emman. Rodriguez, quamuis Confessarius putet falsam opinionem penitentis, si probabilis reputetur inter Doctores probata auctoritatis, debere se illi conformare; quia tunc eatenus dicitur Confessarius se illi opinioni conformare, quatenus illam permittit penitenti; non autem quasi sequatur eam. In qua ratione videtur Sanchez supponere, quod Confessarius non posset ipse sequi illam opinionem, sed solum alteri permittere, atque adeo quod Confessarius non existimet illam verè probabilem: alioquin posset ipse etiam illam sequi.

43. In contrarium vero est, quod communiter tenent Doctores, qui, quando dicunt Confessarium posse, & debere conformare se cum opinione penitentis, addere solent: *modo illa probabilis reputetur inter Doctores probata auctoritatis*. Quam limitationem ex alijs Auctoribus refert, & approbat Diana *dicto tractat. de opinione probabili, resol. 11.* Eodem modo loquitur Suarez *dicta sect. 5. numero 3.* proponens questionem solum, quando penitens adheret opinioni probabili: & Victoria in *Summa* ubi de confessione, n. 177. (in alia editione n. 164.) dixit, si opinio penitentis est improbabilis, non debere absolui à Confessario. Ratio etiam videtur clara: quia si sufficeret, quod penitenti appareret probabilis sua sententia, licet Confessarius sciret esse improbabilem: ad hoc, vt posset penitenti eam permittere, sequeretur, quod posset etiam eam permittere, licet Confessarius sciret esse erroneam, quando non potest penitentem convincere; atque adeo deberet etiam eum absolue: quia posset etiam contingere, quod penitens ab aliquo

Si 3 quem

quem ipse æstimat magis doctum, quam Confessarium, acceperit suam opinionem, atque id eo non teneatur magis credere Confessario, quam illi alteri, ac per consequens non carebit dispositione debita ad absolutionem. Pone ergo, pœnitentem in eo esse errore inculpabiliter, quod usura sit licita, quia id audiunt, aut credidit, se audisse ab homine docto, cuius auctoritati non præponderat auctoritas Confessarii, tunc pœnitens non tenetur credere magis Confessario; ergo, licet non proponat vitare usuram, habet dispositionem debitam ad absolutionem: quod idem dicendum esset, si crederet licitam simplicem fornicationem, vel alia similia. Consequens autem videtur manifestè absurdum: ergo non sufficit, quod pœnitenti sit probabilis opinio; sed requiritur, quod verè sit talis propter auctoritatem, aut rationes, quas pro se habet, ut æstimetur communiter probabilis.

44. Confirmatur: quia, quando Doctores dicunt, eum, qui absoluit iuxta opinionem probabilem, validè absolvere, licet opinio falsa esset, Ecclesia concedente tunc iurisdictionem, & supplente defectum; non hoc intelligunt de absolvente iuxta opinionem, quam Confessarius propter suam ignorantiam existimabat probabilem, cum reuerà probabilis non sit; sed de absolvente iuxta opinionem, quæ verè sit probabilis, & talis debeat existimari: alioquin omnes ferè, qui absolunt, putantes falsò, se habere iurisdictionem illam acciperent ab Ecclesia; quia fere omnes existimant, quantum ex se est, probabiliter, imò & aliquando firmiter credunt, se habere iurisdictionem: ergo similiter, quando dicunt Confessarium debere se conformare sententiæ probabilis pœnitentis, intelligunt de sententiâ, quæ verè probabilis sit, non quæ probabilis appareat pœnitenti propter suam ignorantiam, cum probabilis non sit.

45. In hoc distinguendum in primis est de opinione, quæ versatur circa ipsum Sacramentum Pœnitentiæ conficiendum, vel quæ versatur circa alias obligationes pœnitentis: nam, si versatur circa hoc ipsum Sacramentum, certum est, quod quantumcumque pœnitens iudicet, vel opinetur posse fieri Sacramentum; si Confessarius non putet saltem probabilem esse talem opinionem, non poterit se conformare opinioni pœnitentis: v. g. si Confessarius iudicat, pœnitentem non habere sufficientem dispositionem, vel non fecisse sufficientem examen, vel se non habere iurisdictionem; non poterit absolvere, licet pœnitens contrarium opinetur, nisi Confessarius saltem existimet, opinionem pœnitentis esse probabilem. Ratio est clara: quia tunc non solum agitur de permittenda pœnitenti sua opinione; sed de amplectenda illa in operatione propria, ut Confessarius operetur iuxta illam: quod non potest facere, nisi iudicet, illam esse probabilem.

46. Deinde, quando agitur de corrigendo pœnitente, qui vult retinere rem alienam, vel pluralitatem beneficiorum, vel quidquam aliud agere iuxta opinionem, quam putat esse probabilem; debet prudenter advertere Confessarius, ne sine maturo examine, & debito consilio, iudicet improbabilem sententiam, quam ipse non tenet. Rursus contingit aliquando, quod vir doctus, qui vim argumenti attento studio magis penetravit, videat, quod fundamenta contrariæ sententiæ ex æquiuocatione procedunt, vel ex falso fundamento; & id eo apud se illam iudicet improbabilem, & sine fundamento: non tamen id eo debet pœnitentem obligare ad eam deferendam: quia, licet illa sententia apud ipsi sit improbabilis; apud alios tamen multos, & doctos, qui rem ita accuratè non penetrant, existi-

marur adhuc vera, & per consequens est verè probabilis: quare pœnitens illam sequendo, amplectitur opinionem verè probabilem. Et in hoc sensu intelligo, quod ex Thoma Sanchez, & aliis retulimus *supra*, n. 42. pro parte contraria: loquuntur enim de opinione, quæ verè est probabilis apud multos, & doctos, licet apud ipsum Confessarium, nec veritatem, nec probabilitatem habeat.

Denique, quando clarè sciet Confessarium illi pœnitentis opinionem, & apud se, & apud alios esse omnino improbabilem, debet servare regulam *supra* positam circa improbabilem auferendi ignorantiam pœnitentis. Si enim videt, esse ignorantiam culpabilem; debet omninò docere pœnitentem, & repugnantem non absolvere. Si verò sit ignorantia inculpabilis, & videat ex eius ablatione maius malum sequiturum; debet dissimulare, nisi in casibus *supra* exceptis, in quibus, & in aliis, quibus debet auferre ignorantiam innoxiam à pœnitente, debet etiam eum docere de improbabilitate illius opinionis: quem si viderit adhuc repugnare, & nolle Confessario credere, sed retinere suam sententiam; Confessarius non debet conuincere, quia hoc esset eum in suo errore positivè fouere: sed debet urgere, ut consulat homines doctos, & pios, & proponat Confessarii motiva, ut iudicet: & si hoc admisit, & proposuerit stare eorum iudicio, poterit eum absolvere: sin minus, Victoria loco *supra* citato dicit, nullo modo esse absolendum: quia iam illa est ignorantia vincibilis, & culpabilis, imò videtur esse affectata, & ad minus præsumptio videtur esse contra pœnitentem, qui remedium ita facile non vult acceptare: quid enim facilius, quam consulere homines doctos, præsertim si ipse Confessarius sese offert ad eos consulendos; Merito ergo poterit, & debet iam tunc Confessarius præsumere pœnitentem non esse legitime dispositum, negare absolutionem. Per quod patet responsio ad ea, quæ pro contraria parte adducta sunt: nam in hoc casu pœnitens non præsumitur dispositus ad Sacramentum, cum ignorantia illa cum tanta obstinatione recentia non possit regulariter esse inuincibilis.

Duo restant circa hoc punctum breviter aduertenda. Primum, hanc esse differentiam inter Parochum, & Confessarium non proprium, quod illi debet pœnitentem absolvere, & conformare se cum eius probabilis opinione toties, quoties ad illum recurrit: hic verò, licet hac vice, audita confessione debeat eum absolvere, & conformare se cum eius opinione probabilis; potest tamen eum monere, ne redeat ad ipsum iterum, nisi eum opinionem velit relinquere: in hoc enim Confessarius viuit iure suo, cum nullam habeat obligationem audiendi eius confessionem. Secundum aduertendum est, aliquos asserere, quod, licet Sacerdos non proprius possit, & debeat conformare se cum opinione probabilis pœnitentis; non tamen est adeò gravis hæc obligatio, ut obliget ad mortale: quod etiam docet Montefinus in 1. 2. rom. 1. disp. 62. c. 7. n. 40. Contrarium tamen docet Suarez *dist. sect. 5. n. 2.* Sanchez n. 29. & alij, quos affert, & sequitur Diana *dist. resol. 11.* quod verius videtur: quia est materia gravis confectio, si inneniatur legitime dispositus ad absolutionem. Quamvis, ut notant iidem Suarez, & Sanchez, posset aliquando ex levitate materiæ esse culpa venialis, vel si confessio fuisset de solis venialibus, aut ita brevis, & de tali materia, ut eius repetitio apud alium Confessarium non censetur graue onus, & sufficiens ad iniuriam mortalem.

§3. De obligatione dispensandi penitentem ad absolutionem.

49. **H**oc est tertium, quod proposuimus præstare: dum à Confessario in ipso actu confessionis: de quo nihil speciale notandum occurrit: in genere autem certum est, Confessarium non posse absolueri, quem indicat, non esse sufficienter dispositum: dispositio autem consistit potissimum in dolore de peccatis, & proposito non peccandi: præsumitur verò dolor, & propositum, quando in confessione ipsa signa doloris apparent: frequenter tamen rudiores excitandi sunt à Confessario ad hanc dispositionem, quia non satis aduertunt ad eius necessitatem. Difficultas est, quando sunt motiva ad præsumendum eius defectum, v. g. quòd sæpius admonitus penitens non restituit, cum posset; vel non reliquit occasionem proximam peccati, quam poterat relinquere. Tunc autem erit optimum consilium, & aliquando necessarium differre absolutionem, donec restitutio prius fiat, vel occasio relinquatur, si fieri potest, de quo Suarez disp. 32 sect. 2. Quando verò occasio proxima debeat, vel non debeat relinquere, & quando ex reincidentià arguatur defectus propositi requisiti, diximus supra, disp. 14. sect. 10. quod non oportet in præsentem repetere.

SECTIO III.

Quomodo debeat Confessarius supplere defectus in Confessione commissos.

50.
Defectuum
confessionis
tres species.

AD tres classes reduci possunt eiusmodi defectus. In prima sunt defectus, qui pertinent ad substantiam, & valorem Sacramenti, ut si absoluat sine iurisdictione, vel sine dispositione requisita ex parte penitentis, sine intentione, &c. in secunda defectus in damnum tertij, vel ipsius penitentis, ut si non obligavit ad restitutionem debitam, vel obligavit ad indebitam. In tertia denique possunt esse defectus sine alterius præiudicio, sed solum contra integritatem confessionis, ut si non interrogavit circumstantias, vel numerum; vel non examinavit circa alia præcepta, quando oportebat examinare.

51.
De defectu
circa valo-
rem.

Circa primam classem defectum circa valorem Sacramenti, prima sententia dicit, Confessarium, qui sine iurisdictione absoluit, debere postea obtenta facultate, absolueri eum in absentia, si præsentem non potest, expectando tempus, quando credat, penitentem esse dispositum, & in statu gratiæ. Prius tamen deberet, si sine scandalo, & damno potest, eum monere de defectu commisso, ut iterum confiteatur: quando verò id fieri non potest, debet absolueri, vel præsentem, vel etiam absentem eo modo, quo dictum est Ita docet Antoninus 3. part. tit. 17. c. 12. Sylvester verbo, Confessor. 3. in principio. Nauarrus in Summa, c. 26. n. 14. Hanc sententiam, quod attinet ad absolutionem ab excommunicatione, approbant Suarez disp. 32. sect. 6. Vasquez q. 93. art. 3. dub. 8. n. 6. & alij recentiores communiter. Quoad absolutionem verò à peccatis, omnes reiciunt absolutionem in absentia, cum consistat eam dari non posse. Quinimò, neque in præsentia debere iterum absolui, nisi prius moneatur, probant Suarez, & Vasquez locis citatis: quia absolutio non est valida sine intentione ex parte penitentis: debet ergo admoneri, ut habeat talem intentionem de nouo.

52. Hoc argumentum non videtur mihi satis efficax

quia, quando penitens confessus est, habuit intentionem recipiendi semel absolutionem validam à Confessario; quam cum nondum acceperit, & illa voluntas non sit retractata, non apparet, cur non possit postea illam recipere. Dicunt prædicti Doctores, intentionem penitentis terminatam fuisse ad primam absolutionem, non ad hanc posteriorem, de qua nihil cogitavit. Sed contra: quia, si Sacerdos prima vice absoluat sine debita intentione, & statim animaduerso errore, repetat absolutam, vel sub conditione formam absolutionis; nemo dicet; hanc secundam non esse validam ex defectu intentionis in penitente: ergo intentio penitentis non terminabatur ad priorem absolutionem, materiam illorum verborum, sed ad absolutionem formalem, & validam, quam cum nondum acceperit, non est, cur non petere.

Dicit P. Vasquez, non perseverare: quia, cum penitens putet, se iam absolutum, non expectat novam absolutionem. Sed contra: quia etiam in primo casu penitens, qui audiuit semel proferri verba absolutionis, putat se absolutum: imò, licet prolata sint cum aliquo errore circa ipsa verba, penitens, qui errorem non aduertit, putat se absolutum; & tamen Sacerdos, animaduerso defectu intentionis suæ, vel errore, potest incontinenti absolueri: ergo, quòd penitens putet se absolutum non retractat priorem intentionem; sed est error priuatus, à quo non pender intentio. Sicut si Sacerdos, quando ordinatur, putet characterem imprimi in aliqua actione antecedenti, & non in porrectione calicis, & Hostiæ, atque ideo iam tunc putaret, se esse ordinatum; adhuc validè ordinaretur, & reciperet characterem suo tempore; quia ille error priuatus non destruit intentionem, quam habuit, recipiendi ordinationem, quando ei daretur. Similiter penitens, si putet se absolutum, quando dicuntur illa verba: Dominus Iesu Christus te absoluit, &c. non verò per verba subsequenta, atque ideo putaret, se iam absolutum; non ideo esset invalida forma absolutionis subsequens: quia error priuatus non destruit intentionem, quam habuit recipiendi absolutionem validam: ergo etiam in casu nostro, quòd penitens putet iam se absolutum, non destruit intentionem, quam habuit, recipiendi semel validam absolutionem ab hoc Confessario.

Melius ergo reicitur illa sententia: quia tempore sequenti Confessarius non poterit prudenter proferre formam absolutionis super confessione præterita, hoc ipsum ignorante penitente, qui fortasse novum peccatum commisit, vel non est dispositus iam ad effectum Sacramenti. Addit Suarez, & bene, si in Confessario defuit prius iurdictio, repetendam esse confessionem, cum confessio prior fuerit invalida, utpote facta non iudici: non potest ergo confecti absolutio, nisi monito penitente, ut se breuiter accuset de omnibus; quæ dixit in priori confessione, cuius confusam memoriam adhuc habet Confessarius. Quare, si penitens ipse de se veniat ad confitendum iterum, expedit, eum interrogare, an doleat de omnibus, etiam antea confessis in præcedenti confessione; & an se iterum de illis accuset; & tunc absolutio directè terminabitur ad illa omnia: quod remedium placet communiter recentioribus, quos congerit Diana 1. tom. tract. 1. missi. 11. resol. 60.

Secunda ergo sententia est aliorum, qui dicunt: in tali casu nihil faciendum esse à Confessario; sed dolendum de culpa præterita, & relinquendum penitentem in bona fide; quia illa peccata per sequentem absolutionem in alia confessione indirectè remittuntur: & aliunde Confessarius non

§ 4 potest

potest sine graui honoris, & famæ detrimento pœnitentem monere. Pro hac opinione citantur Antonius Syluester, & Nauarr. apud Suarez. *vbi supra*, n. 5. quibus addit Ioan. Valerius *indifferent. vtriusque fori verbo, Pœnitent. dissert. 9. n. 2. in fine.*

56. Hanc sententiam impugnat Ioannes de Medina *Cod. de confessione, q. 39. de alieno, sine licentia proprii, quemquam absolvente*: quia illa carentia gratiæ, quam afferret vera absolutio eorum peccatorum, est graue damnum pœnitentis, cuius iactura Sacerdos erit causa, si illum non moneat, ut iterum absoluat. Hoc tamen argumentum reijciunt alij, & merito: quia illud damnum, & iactura gratiæ non tanti est, cum possit mille alijs modis reparari, nec pœnitens ipse censetur grauitur iniurius circa illud, cum possit potius, & sæpius eadem peccata confiteri. Vnde, quando confessio fuit de solis venialibus à pœnitente frequenter confiteri solito, putarem facile excusari Confessarium à supplendo defectu, si forte ex aliqua causa inualide absoluit: quia pœnitens communiter non erit grauitur iniurius; sed potius præsumi potest, quod ratum habeat manere pro illa die cum absolutione non valida, ut liberet suum Confessarium ab illa molestia, & rubore in manifestando defectu commissio.

57. Ceterum, adhuc sententia illa vniuersaliter defendi non potest: quia, ut bene arguit Medina *loco citato*, qui causa est alteri violandi aliquod præceptum graue propter ignorantiam, quam in illo causauit, debet auferre illi ignorantiam, ut possit seruare legem Dei: v. g. si dixisti alicui, non esse obligationem audiendi Missam, vel fornicationem esse licitam; debes hæc retractare, ne sis proximo causa violandi illa præcepta: sed Confessarius male, & inualide absoluo est causa, quod pœnitens non obseruet legem diuinam confitendo iterum illa peccata, à quibus non est valide absolutus, prout reuera, & seclusa ignorantia teneretur: ergo debet illum admonere, ne Confessario imputetur illa violatio diuinæ legis.

58. Propter hæc ipse Medina docet obligari Confessarium ad pœnitentem de defectu admonendum: quod etiam docent Soto, & Corduba apud Vasquez *disso. dubio 8. n. 1.* quod Corduba limitat, si possit sine scandalo admonere: cum qua ferè limitatione idem dicunt Suarez, Vasquez, & alij Recentiores communiter, hoc est, quando sine graui nocumento proprio, vel alterius, id fieri potest.

Ego tam pro hoc puncto, quam pro alijs, quæ in hac sectione dicenda restant, distinguendum puto: nam, licet P. Suarez n. 6. dicat, nullam esse differentiam; ego magnum discrimen agnosco inter eum, qui inculpabiliter, & eum, qui scienter, vel culpabiliter errorem commisit, & multò maiorem credo esse huius, quam illius obligationem. Quod quidem in alijs materijs manifestum est, præsertim in materia iustitiæ: nam, si culpabiliter aliquem infamasti, debes etiam cum incommodo tuo illius famam rescire: si verò inculpabiliter, quia, v. g. credebas publicum, quod erat secretum; vel credebas verum crimen, quod audieras à fide dignis, cum esset falsum; tunc teneris quidem, si absque incommodo potes, reuocare, quod dixeris; non tamen cum incommodo tuo graui, ut cum alijs docet Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 11. dubit. 22. mm. 116.* quod idem est de quocumque, qui damnum inculpabiliter intulit. Idem ergo dicendum videtur in materia præsentis, cum procedat eadem ratio in ipsa, quæ in alijs.

59. Nam, sicut iure ipso naturæ multò strictius obligatur aliquis ad restituendum ex iniusta acce-

ptione, quam ex iusta & inculpabili, cum ille prior teneatur ad rescacienda omnia damna, etiam cum graui damno proprio; hic autem posterior solum ad restituendum rem ipsam, si exiit apud se; alioquin ad id solum, in quo factus est locupletior: sic, qui causa fuit iniusta, vel iniqua irritandi absolutionem, debet multò strictius reparare illud damnum, quod intulit pœnitenti, & quod quasi intulit præcepto diuino, quod, ut violatur, materialiter saltem, à pœnitente, non confitendo illa peccata, occasionem culpabilem dedit, & idè violatio ipsi imputatur: qui verò inculpabiliter id fecit, non videtur esse causa moralis illius damni, & idè multò minus strictè tenetur ad reparationem illius. Vnde existimo, licet hic secundus non teneatur cum graui detrimento suo, vel alterius admonere, nisi forte, quando subesser periculum damnationis infirmi, qui moritur cum illa inualida absolutione, vel in calu simili; illum tamen primum, nempe, qui cum culpa graui, & mortali, siue scienter, siue ignoranter ignorantia grauitur culpabili illum errorem commisit, debere etiam cum graui suo damno illum corrigere. Quod tamen intelligo cum proportionem debitam: nam, sicut in materia iustitiæ non tenetur aliquis restituere bona inferioris ordinis cum detrimento maiori bonorum ordinis superioris, v. g. famam alienam cum periculo vitæ, sic in præsentis non esset obligandus Confessarius ad reparandum illud damnum, quod culpabiliter causauit, & ad monendum pœnitentem, quando deberet id fieri cum damno suo, vel alieno, quod in morali æstimatione non sit comparabile cum damno, quod sequitur ex eo, quod Sacramentum irritum perseueret, & peccata illa non nisi indirecte remittantur per subsequentem confessionem.

Vnde facilius erit iam resolutio secundæ puncti *supra* propositi; quando, scilicet, Confessarius commisit errorem, non circa substantiam, & verba, sed circa obligationes pœnitentis, quem, verbi gratia, non obligauit ad restituendum, quod debebat; vel obligauit ad soluendum, quod non debebat. De quo multi dicunt, Confessarium non solum teneri ad corrigendum errorem, sed etiam ad restituendum, quod pœnitens restituere debebat, si cum non potest admonere. Et idem dicendum est, si admonet tempore, quo iam non potest restituere, cum prius potuisset. Ita Syluester, Gabr. Nauarr. Angel. Rosella, quos affert Suarez *dicta sect. 6. numero 8.* Nuñez, Zanard. Syluius, & alij, quos affert Diana *1. tom. tract. 2. miscellaneor. resolut. 1.* Quorum aliqui distinguunt inter Sacerdotem proprium ex officio, ut Parochum, & delegatum, qui voluntarie se immiscet: & dicunt, Parochum teneri ex culpa graui, vel lata; delegatum verò etiam ex leuissima; quia ipse sine necessitate se immiscuit, quam distinctionem reijciunt merito Suarez, & alij.

Distinguendum in primis est, nam, vel Confessarius causat illam ignorantiam in pœnitente positivè, quia, v. g. dixit illi: *Debes*, vel, *non debes restituere*. vel solum omisiue, quia non præcepit illi restitutionem, sed tacuit. In primo casu rursus distinguendum est iuxta *supra* dicta de errore culpabiliter, vel inculpabiliter commissio. Quo supposito dicendum in primis est, quando Confessarius positivè dixit, non restituendum contra ius alterius, & id ex culpa graui, hoc est, mortali contra iustitiam; debet admonere pœnitentem de errore, ut restituat; alioquin, si non admonet, vel,

vel, si admonitus iam non possit restituere, cum prius posset; ille Confessarius debet restituere, si poenitens alioquin restituisset. Ratio est clara: quia consulens furtum, si ex malitia, vel culpa graui id faciat, cooperatur furi, & tenetur ad restitutionem, fure non restituente: ergo, qui suo consilio iniusto impediuit restitutionem rei alienae, non minus tenebitur: nam dominus rei habet ius contra me, ne impediam furem à restitutione facienda. Idem est, si culpabiliter poenitenti restitutionem praecipit, quando restituere non debebat: quia iam sua actione iniusta causa fuit illius damni decipiendo poenitentem. Denique idem est, si culpabiliter ei aliquam opinionem falsam persuasit, ex qua, vel ipse, vel alius detrimentum pati possit, vel cuius occasione violabit poenitens praecepta Dei, vel Ecclesiae, &c.

62. Quando verò consilium illud non restituendi debitum, vel restituendi non debitum, vel ali- quod aliud eiusmodi, dedit absque graui culpa, tunc iuxta regulam *supra* positam dicendum est, debere, si commodè possit, admonere poenitentem de errore, alioquin incipiet iam illi imputari ignorantia poenitentis: si verò non potest commodè, excusabitur, nec tenebitur ad damna rescacienda. Ratio prioris partis est: quia vnusquisque tenetur ex iustitia, non solum ad non inferendum directè, & ex industria malum proximo; sed etiam ad procurandum, quantum commodè possit, ne ex sua actione proueniat proximo damnum contra ius illius: v.g. si inaduertenter accendisti domum alienam, teneris, cum primum aduertis, ex iustitia extinguere ignem, si commodè potes; licet alius, qui non accendit ignem, non teneatur ex iustitia, sed ex charitate illum extinguere. Nam, licet, actio illa fuerit inculpabilis; fuit tamen tua & teneris procurare, ne ex tua actione patiarur aliquod detrimentum proximo in rebus suis, si commodè possis: minor enim est hæc obligatio, quam illa alia non laedendi positiue; & idè ad hoc non teneris, nisi cum commodè possis impedire. Similiter, si bona fide infamasti aliquem, putans esse verum crimen, quod audieras de illo; debes postea, si commodè potes, cognito errore, reparare illius famam, & extinguere incendium famæ, quod inculpabiliter accenderas. Sic ergo Confessarius, licet bona fide consulerit retentionem rei alienae, debet cognito errore reuocare, quod dixit, & manifestare poenitenti obligationem, quam habet.

63. Ratio posterioris partis est: quia, cum hæc obligatio non oriatur ex iniusta laesione, vel actione; minor est, vt diximus; & idè non obligat, nisi cum commodè potest reparari, & impediri illud damnum. Cæterum, in hoc casu commodum, & incommodum Confessarii debent accipi respectiue ad damnum, quod ex illo errore consequi potest: nam, si inculpabiliter dixit non esse obligationem restituendi regnum, cum reuera esset; non excusabitur à monendo poenitentem, ed quod debeat expendere decem nummos aureos, & tres, vel quatuor dies in itinere: quia respectiue ad rem, de qua agitur, satis commodè potest admonere: sicut, qui inculpabiliter accendit aedes alienas, quæ valeant centum mille aureos, non excusabitur ab extinguendo incendio, si possit vno aureo vocare sibi focios, qui illum extinguant: commodè enim potest illud extinguere respectiue ad damnum, de quo agitur.

64. Denique aduerte circa hanc obligationem Confessarii, siue culpabiliter, siue inculpabiliter errorem commiserit, satisfacere postea suæ obligatio-

ni, si poenitentem potentem adhuc restituere, doceat, quid debeat facere; nec ad aliquid teneri, licet ille non restituat. Nam, licet in aliis materiis dici soleat, consulentem, etiam reuocato consilio, manere obligatum ad damna, & contrahere posse irregularitatem; in hac tamen materia id locum non habet: nam, quando ea obligatio perseverat reuocato consilio, idè est; quia motiua, quæ attulit consiliarius, perseverant in mente alterius, qui consilium accepit, atque idè consilium præteritum influit, quantumcumque reuocetur. In nostro autem casu hoc non procedit: quia, cum ex errore datum fuerit consilium, solum influebat propter auctoritatem Confessarii, quæ omnino auferetur, reuocato consilio, & facta protestatione de veritate contraria: quare non potest iam influere amplius error prior in negationem restitutionis. Solum posset dubitari casu, quo poenitens habuisset verè intentionem restituendi tunc, quando confessus est, & postea mutato animo in peius nollet, quo casu videretur Confessarius, qui malitiosè, & culpabiliter dissuasit restitutionem, manere obligatus postea, non solum ad reuocandum consilium, sed ad restituendum, cum sua culpa fuerit causa, ne fieret restitutio, quæ iam facta fuisset, & modò non fieret. Hoc tamen commune est ad omnes consiliarios, vel impedientes, an eo casu satisfaciatur, auferendo impedimentum à se positum, de quo in *tractatu de iustitia, & iure*.

Nunc dicendum est de secundo membro principali distinctionis, quando non positiue, sed omisiue errauit Confessarius, non præcipiendo, v.g. poenitenti restitutionem: quo etiam casu reddit distinctio *supra* posita de culpabiliter, vel inculpabiliter omittente monitionem debitam. De vtroque autem credo teneri postea admonere poenitentem, quando poenitens ex illa omissione, & silentio Confessarii moueri potest ad credendum licitum, & faciendum id, quod est illicitum, & in damnum tertij: secus verò, si poenitens ex illo Confessarii silentio non moueatur. In neutro autem casu credo, teneri Confessarium ex iustitia, nec obligari ad restituendum. Porro ex vtroque casu obligari ad poenitentem admonendum, probari potest: quia vnusquisque tenetur procurare, ne ex sua actione, vel etiam ex sua omissione scandalum accipiant alij, hoc est, incitamentum ad peccandum: quare non solum peccat, qui scandalum præbet, comedendo carnes, quæ est actio positiua; sed etiam, qui scandalum præbet, non audiendo Missam, quæ est omisiue, nam ex hac etiam omissione moueri potest proximus ad peccandum. Imò non solum est obligatio procurandi, ne ex nostris actionibus, vel omissionibus alij moueantur ad peccandum, sed etiam ne moueantur ad violandum materialiter mandata Dei, vel Ecclesiae. Quare debeo procurare, ne ex mea omissione Missæ, alij moueantur ad non audiendam Missam, putantes, non esse festum, quia ego non audio Missam: sicut debeo procurare, ne ex mea comestione carniū alij comedant carnes, putantes non esse prohibitionem. Quando ergo ex illo silentio Confessarii poenitens mouetur ad non restituendum, ed quod Confessarius nihil illi dixerit, debet Confessarius procurare, ne ex illa sua omissione oriatur tale scandalum, & occasio violandi saltem materialiter præcepta diuinæ legis.

Cæterum, sicut ex iustitia magis obligatur homo ad impediendum damnum, quod consequitur ex sua actione iniusta, quam quod consequitur ex actione sua inaduertenter facta; sic ex charitate etiam magis strictè obligatur ad procurandum, ne ex sua actione, vel omissione culpabili sequatur, scandalum,

65. Quid quando non positiue, sed omisiue errauit Confessarius.

66.

scandalum, & violatio etiam materialis legis Dei, quam ne sequatur ex actione, vel omissione inculpabili, & inadvertenter facta, quare cum maiori incommodo tenebitur Confessarius impedire ignorantiam, & occasionem errandi, quam dedit pœnitenti per omissionem culpabilem: quam illam, quâ dedit per omissionem inculpabilem: in hoc tamen casu tenebitur aliquando cum aliquo incommodo, quando respectu illius damni, quod consequitur, non reputaretur moraliter incommodum, ut dicebamus de illo, qui inculpabiliter consuluit non restituere regnum, quod debebat restitui. Idem cum proportionem dici potest de eo, qui per inadvertentiam non dixit restitui debere regnum quando debebat dicere: tenebitur enim cum aliquo, incommodo procurare, ne ex hac eius omissione pœnitens scandalum pariat, & accipiat occasionem retinendi regnum alienum.

67. Quod autem hæc non sit obligatio ex iustitia, est communis iam sententia, quam tenent Suarez dicta sess. 6. Coninch in præsent. disp. 8. dub. 17. n. 144. Rebellus, Malderus, Filiucius, Bonacina, & alij, quos referunt ipse, & Diana dicta res. 1. Et ratio est: quia Confessarius non habet ex officio suo procurare utilitatem aliorum, & quod ius suum vicini, quæ sequitur, sicut Index temporalis; sed solum intendit bonum sui pœnitentis, contra quod formaliter peccat, non contra alios, quando omittit facere quod debebat: quare omittens monitionem de restitutione, non omittit aliquid, quod creditoribus pœnitentis deberet; sed, quod debebat suo pœnitenti ad bonum suæ animæ.

68. Obiiciunt aliqui ex adversariis: quia Confessarius tenetur ex officio docere pœnitentem: ergo, cum non docet, omittit id, quod ex officio debet: qui autem tacet, quando ex officio tenebatur loqui, virtualiter dicit, non esse obligationem restituendi: ergo est causa moralis, quod pœnitens non restituat, & per consequens tenebitur ipse ad restitutionem. Respondetur, Confessarium teneri ex officio ad monendum; non ex officio in ordine ad creditores, sed solum in ordine ad pœnitentem, cui soli, & non aliis obligatur ex officio: tunc autem negatur, omnes, qui ex officio quocumque modo tenentur monere, & tacent, virtualiter docere contrarium: possunt enim tacere ex oblivione, ex metu, ex verecundia: non ergo est causa moralis Confessarii illius retentionis, nisi valde improprie.

69. Dices: Si non docet postea, cum possit peccare, quia dat scandalum pœnitenti: sed dare scandalum, est esse causam peccandi alteri: ergo si non admonet, causat verè retentionem pecuniæ alienæ, & per consequens tenebitur ad restitutionem. Respondetur cum, qui dat scandalum, non intendendo, nec volendo directe ruinam proximi, non esse causam peccati alieni, nisi improprie, quatenus, qui non impedit, cum deberet, dicitur causa. Fateor, aliquando hoc sufficere, ut obligetur ad restitutionem: nam gubernator, qui non impedit furta, prout ex officio debebat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem: id tamen, ut dixi, solum procedit, quando tenebatur impedire ex officio respiciente bonum illorum, qui damnum patiuntur, quale est officium gubernatoris, quod respicit pacem, & securitatem civium: tunc enim gubernator peccat contra ius quod ciues habent adversus illum; & ideo tenetur ad restitutionem, & dicitur causa imputatiue: quia propter obligationem iustitiæ, quam habet, censetur, perinde ac si positiue causasset illud damnum.

70. Urgebis: Prælati non impediens subditum de-

trahentem famæ alienæ, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem, licet eius officium respiciat solum bonum subditorum: ergo, licet officium Confessarii respiciat solum bonum pœnitentis, peccabit contra iustitiam, non impediens retentionem alieni. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod aliqui negant, negando consequentiam. Et ratio differentis est, quod Prælati est etiam caput politicum suorum subditorum: quare tenetur eos gubernare in ordine ad bonum commune aliorum civium, sicut dominus tenetur gubernare suos servos, & procurare ne inferant damna aliis civibus: illi enim, qui caput est politici, tribuuntur, & imputantur damna à subditis illarum. Confessarius autem non est caput politicum pœnitentium; sed solum Medicus spiritualis ipsius, nihil aliud respiciens, nisi bonum solius pœnitentis sine ordine ad alios, quibus ipse nihil debet, sed soli pœnitenti. Sicut, si infirmus, ob Medici negligentiam, qui medicinam opportunam non dedit illi, incidit in amentiam, & furiosus aliquem occidit; Medicus non tenetur restituere: quia ipse non se obligaverat aliis, sed soli infirmo, cuius solius bonum debebat procurare: & licet omiserit id, quod ex officio debebat, non tamen ex officio respiciente alios propter infirmum. Aliud esset, si dedisset politice, & culpabiliter medicinam contrariam, quæ foreturi, & infamiam atulit: tunc enim, si præsumptum fuisset homicidium, fortasse teneretur Medicus ad restitutionem. Sic ergo dicendum est cum proportionem de Confessario, qui est Medicus spiritualis, & Pastor solum in ordine ad bonum pœnitentis.

Restat iam tertium punctum, quando Confessarius erravit, non in damnum tertij, sed solum contra integritatem confessionis, non examinando, vel non interrogando sufficienter numerum, vel species, aut alias circumstantias necessariè explicandas. Affirmant aliqui debere Confessarium postea pœnitentem admonere de illo defectu, si absque scandalo, & gravi detrimento fieri possit. Ita sentit Antonius Fernandez in examen. Theolog. moral. part. 3. c. 4. §. 11. num. 3. & videtur esse sententia Ioannis Medina Cod. de confessione. Iuxta supra citatam: nam eius ratio vniuersaliter probat etiam in hoc casu: quia, scilicet, Confessarius est causa, quod pœnitens violat præceptum confitendi illas circumstantias, vel illa peccata, quæ ex divino præcepto debet confiteri: ergo debet certiores facere pœnitentem, ne amplius transgrediat illud præceptum. Quam rationem approbare videtur Valquez dicto dub. 8. n. 2. & 7. Unde ibi n. 6. videtur eandem sententiam docere in præsent. casu.

Contrariam tamen sententiam docet Suarez dicta sess. 6. n. 8. ubi vniuersaliter dicit, quando ex errore, etiam scienter commissio, non pendet damnum tertie personæ, & absolutio non fuit nulla; regulariter ad nihil teneri Confessarium, nisi ad pœnitentiam agendam. Dicit autem regulariter: quia, si decepit pœnitentem in re aliqua pertinetente ad salutem eius animæ, ex qua, v. g. pendet, ut maneat in occasione proxima peccandi, tenebitur illum admonere iuxta regulam charitatis, & prodentia vitando scandalum, quoad fieri possit. Eandem sententiam tenent Filiucius tom. 1. tract. 3. c. 12. q. 7. n. 374. & ibidem in instructione pro confessionibus excipiendus, c. 4. Nuñus item, & Reginaldus, quos affert, & sequitur Diana 1. tom. 1. miscell. res. sol. 7.

Distingendum etiam in hoc puncto videtur: nam vel Confessarius positiue fuit causa, quod pœnitens non confiteretur integrè, dicendo, v. g. non oportere explicari aliter numerum, nec alias species,

species, vel circumstantias; vel ita omittendo interrogaciones, vt perinde esset, ac si diceret, non esse necessarium alia, vel magis explicare, ita vt penitens eius auctoritate motus, non curet amplius de confitendis iis, quæ relicta sunt; vel solum purè omisiuè se habuit non interrogando, quæ interrogari deberent. In primo casu, siue culpabiliter, siue inculpabiliter id fieri Confessarius videtur postea debere admonere penitentem, si absque scandalo, vel graui detrimento possit: ita tamen, vt magis strictè ad id teneatur, quando præcessit culpa grauis Confessarij; minus, quando non præcessit. Ratio autem sumitur ex *suprà* dictis: quia ille, qui causa est alteri violandi præceptum graue, violatione etiam materiali; debet, si commodè potest, admonere de errore, vt ille præceptum non transgrediatur, vt *suprà* vidimus: si ergo Confessarius sua auctoritate, causa est, quòd penitens non confiteatur illa peccata, quæ ex Christi præcepto confiteri debet, obligationem habet auferendi illum errorem à se positum, vt penitens non violet diuinum præceptum.

Cæterum, quia præceptum de integritate confessionis tale est, vt solum obliget, quando sine graui detrimento obseruari potest; consequenter dicendum est illud sufficere ad excusandum Confessarium, ne admoneat postea penitentem de illo defectu, quod sufficeret ad excusandum ipsum penitentem ab integritate confessionis, cum non habeat maiorem obligationem Confessarius, quam penitens, ad seruandum illud præceptum. Et hoc intelligo, quando defectus procedit ex culpa graui Confessarij. Quando verò non procedit ex eius culpa graui, multò minor causa sufficit ad excusandum Confessarium: quia ipse postea non adstringitur præcepto integritatis; sed alio præcepto procurandi, ne ex sua actione penitens moueatur ad violandum præceptum integritatis; quæ obligatio minor est, quam obligatio ad integritatem. Quod in alijs præceptis manifestum est. Nam, si inculpabiliter dixisti alicui, non esse obligationem audiendi Missam, vel ieiunandi tali die; minor causa sufficit, vt excuseris ab illo postea admonendo, quam vt excuseris ab audienda Missa, vel à ieiunio. Sicut etiam in materia iustitiæ, minor causa requiritur, vt excuseris ab admonendo aliquo, cui bona fide dixisti, licitum esse talem contractum, vel à restituenda fama alterius, quam inculpabiliter læsisti, quam vt possis retinere alienum, vel lædere scienter alienam famam. Maius enim ius habet proximus aduersus me, ne lædam directè illum, quam vt procurem, ne ex mea actione, bona fide posita, sequatur eius læsio. Quare raro teneretur fortasse Confessarius qui bona fide decepit penitentem circa integritatem confessionis, ad illum postea extra confessionem admonendum: quia regulariter absque incommodo, & detrimento suo id non potest facere.

Quando verò negatiuè, seu purè omisiuè commisit Confessarius illum defectum, siue culpabiliter, siue inculpabiliter id fecerit, credo, postea nõ teneri extra confessionem admonere penitentem: quia præceptum integritatis non obligat directè Confessarium, sed penitentem: Confessarius autem tenetur interrogare, & examinare: quia est iudex, & non potest licitè proferre sententiam, nisi prius plenè informetur de toto statu causæ, & personæ, quam debet absolueret. Vnde, postquam sententiam protulit, & functus est officio suo, non obligatur amplius illo præcepto interrogandi, & examinandi. Aliandè verò ipse non est causa, quòd penitens postea non confiteatur illa peccata, vt

suppono: quia, nec ipse id dixit formaliter, nec virtualiter, ita vt penitens ab eius auctoritate moueatur ad illa non confitenda, sed à sua obliuione, vel imperitia: & licet debuerit ex officio eum docere in actu confessionis, non tamen postea: imò, licet esset Parochus eius, & magister ex officio; id tamen munus non est ad docendum ex notitia confessionis extra illud iudicium: nam extra confessionem non debet pascere, nec gubernare subditos ex notitia confessionis; sed sicut, si eorum peccata non audisset.

Dices: Quilibet debet docere proximum, quem videt propter ignorantiam violare aliquod diuinum præceptum, si commodè possit: cum ergo Confessarius sciat, penitentem propter ignorantiam violaturum præceptum diuinum circa integritatem confessionis, debet eum monere. Respondetur illam obligationem esse tenuissimam circa aliqua præcepta, quando sine peccato violantur quare illud incommodum, & rædium, quod secum affert loqui cum penitente post confessionem de rebus confessionis, & admonere de defectu commisso, videtur sufficiens ad excusandum in hoc casu ab ea obligatione, si quæ est, cum aliunde nihil detrimenti pariat penitens ex illo defectu; & illa peccata remissa iam sint indirectè per absolutionem directam ab alijs.

Petes, quid, si postea redeat ipse penitens iterum ad confessionem; debetne illum in confessione admonere Confessarius de defectu commisso in confessione præcedenti? Respondetur affirmatiuè: quia iam tunc est Index iterum; & ad proferendam sententiam legitime, debet interrogare de iis, quæ videt à penitente per obliuionem, vel ignorantiam omitti. Cum ergo sciat omitti ea de quibus in præcedenti confessione debebat interrogare: consequens est, vt nunc debeat inquirere de illis, non tam ad supplendum defectum confessionis præcedentis, quam ad procurandam integritatem huius confessionis præsentis, & præmittendum examen requisitum ante absolutionem.

DISPUTATIO XXIII.

De sigillo confessionis.

SECT. I. An, & quale sit præceptum de sigillo confessionis.

SECT. II. Quas personas obliget hoc sigillum.

SECT. III. Qua sit materia huius sigilli.

SECT. IV. Quomodo loqui debeat Confessarius ad vitandam reuelationem.

SECT. V. Quomodo possit Confessarius vitare scientiam habita ex confessione.

DIXIMVS de obligationibus Confessarij in ipso actu confessionibus: nunc de illa, quæ consequitur post confessionem de seruando secreto; de quibus pluribus, & vtilissima dubia examinanda occurrunt hoc ordine. Primò, de ipso præcepto, & obligatione. Secundò, de personis, quas obligat. Tertiò, de materia, quæ cadit sub sigillo. Quartò, quibus modis violetur, vel non violetur.

SECTIO